



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

3. De proposito non peccandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

3. Dixi saltem (nam de quodam quarto motivo dicitur infra mox §. 4. Hæc est doloris natura. Cæterum pro nostro expediendæ Confessionis instituto notentur sequentia.

§. II. An sit necessaria singulorum peccatorum memoria, vel eorum quibus est Deus proponendus.

4. Non esse necessariam singulorum recordationem peccatorum, est communis doctrina Ita Laym. l. 5. tr. c. 4. n. 4. Satis est igitur, ut ea in universum detestetur: nam singulorum expressio in oris Confessione requiritur, non in cordis dolore.

5. Unde quando advertis penitentem tuum valde alicui crimini addictum; ne inculces doloris actum circa illud peculiare peccatum: periculum enim suberit, ne illud ex animo detestetur, dum ejus specialis memoria reficitur, quod in universum, & simul cum aliis detestandi difficultatem, vel nullam sentiet, vel exiguam.

6. Propter eandem ferè rationem non est necesse imò in infirmioribus conscientis esset periculo satis obnoxium ad particularia, singulaque descendere, quæ Dei sunt amori postponenda: v. g. non oportet sic dicere: Super divitias, super vitam super honorem Deum Diligo: satis enim est dicere: Super omnia Deum diligo, propter quem omnia peccata detestor, & execor.

§. III. De proposito non peccandi.

7. Propositum explicitum de cætero non peccandi, licet laudabiliter, & in sententia multorum necessarium. lege Bellarm. tract. 3. lib. 1. de pœnit. cap. 6. & 7. contra Vegam; at in probabili aliorum opinione satis est implicitum, hoc est illud quod involvitur in ipso actu detestationis, seu displicentia. Vega in Trid. lib. 14. c. 21. eandem sent. Reginal. tom. 2. lib. 1. c. contrit. ait esse probabilem, & idem Bonac. de pœnit. disp. 5. q. 5. sect. 1. n. 8. Nam qui ex corde dicit: Mihi peccatum displicet, implicitè involvit se nolle amplius illud committere. Nemo enim vult committere, quod ipsi displicet.

8. Adverte, quando dolor est Attritio ex motivo turpitudinis peculiaris alicuius peccati, v. g. Luxuriæ, non satis esse propositum implicitum in ejusmodi dolore concepto ex tali peculiari motivo, sed debere tunc addi propositum explicitum de cætero non peccandi. Sic Delugo de pœnit. d. 14. sect. 5. n. 52. Ratio est quia in Confessione requiritur propositum nullum peccatum committendi: at in dolore concepto ex motivo particulari non involvitur, ne implicitè quidem propositum nō committendi alia peccata, in quibus tale motivum particulare non reperitur: ergo meritò tum debet vel superaddi explicitum, vel eliciatur alius actus doloris ex motivo universali, quale est timor gehennæ, amor gloriæ, &c.

9. Rursus adverte posse contingere, ut quis absolute proponat se de cætero non peccaturum: timeat verò, imò certo sibi persuadeat se propter fragilitatem iterum lapsurum, & tamen hic sufficienti proposito ad Sacramentum accedit. Nam ut Sylvester c. confessio 1. p. quest. 2. p. rectè notavit, Velle, ac proponere est actus voluntatis; existimare autem se relapsurum, est actus intellectus.

10. Denique adverte non esse satis propositum solum sine explicito dolore, sicuti diximus sufficere solum dolorem sine explicito proposito. Differentia ratio est quia in proposito de futuro non includitur odium præteriti: posset enim quis sic sentire: Nolo in futurum occidere, complacet tamen semel occidisse: id quod non est in vero dolore Ita idem Delugo ibid. 56.

§. IV. An timor mali temporalis possit esse motivum Attritionis.

11. Inter motiva Attritionis, de quibus n. 4. diximus licet aliqui non admittant aliud quartum, id est timorem mali temporalis, atque adeo quo peccata execratur propter timorem infamiae carceris, aegritudinis, & similibus, quæ propter peccata incurri solent: legitimum

motum dolorem pro Sacramento Confessionis. Doctores non asserunt, quia huiusmodi dolor non est (aiunt) non autem supernaturalis, & prout oportet ad gratiam supernaturalem obtinendam; tamen sententia probabilissima etiam hoc motivum est sufficiens, seu infundenda: sic Reginald. tom. 1. lib. 5. de contritione. ut sic enim supernaturalem dolorem parere potest concipi autem huiusmodi timor in hunc finem potest, detestor peccata quorum causa me Deus mortificari, carere, malisque similibus temporariis affligi, &c. Notanter enim Concil. Trid. sess. 13. cap. 4. c. c. timore concipi posse Attritionem docuit, non dicitur, sed ex timore solum gehennæ, vel alterius pœnæ spiritualis, seu æternæ, sed addit in universum ex timore peccatorum, sic etiam habet: Attritio quæ vel ex timore peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnæ spiritualis communiter concipitur, &c.

§. V. An actus amoris Dei sit sufficiens dispositio pro Sacramento Penitentia.

12. Actus amoris Dei solus, sine formali dolore, peccatorum licet in probabili sententia sit sufficiens dispositio ad Sacramentum Penitentia: quia licet Conc. Trid. requiritur ut sit actus penitentia, vel dolor & detestatio: quæ simpliciter prolata intelligitur de actu formali, non de æquivalenti, qualis est amoris actus. Ita Suarez de pœnit. disp. 20. sect. 4. n. 1. Coninch. lib. 5. n. 39. Bonac. disp. 5. de Sacram. q. 3. p. 2. n. 6. Timor si quis in suis confessionibus ejusmodi actum doloris lectionis exhibuerit, ne scrupulose sit de Confessione nullitate sollicitus. Cum enim fieri moraliter non possit, ut is, qui suorum est memor peccatorum, cum Deum super omnia, non avertatur per detestationem peccatis, jam satis habuisse necessarium dolorem prædictæ judicandum. Ita Coninch. disp. 2. n. 51. Vide quæ infra dicentur de virtuali dolore v. g. cap. 3. §. 1.

§. VI. Formula Contritionis, & Attritionis.

13. Actus Contritionis hic est ex Fagund. præf. Eccl. 2. lib. 2. cap. 3. n. 15. De peccato, quod me offendit & injuria super omne id quod me pariter peccat: & propono cum divina gratia me amplius non peccaturum.

Brevius, & facilius.

14. Penitet me intus de meis peccatis propter Deum quem summe diligo, emendationem quæ propono in futurum.

Brevissime cum proposito implicito.

15. Displicet mihi peccasse quia feci contra te, Deus meus bone, quem ego toto corde amo. Ex Delugo. de pœnit. disp. 5. sect. 1. & aliis.

16. Actus Attritionis est huiusmodi ex Fagund. præcept. Eccl. 2. lib. 2. cap. 2. n. 15. Penitet me de meis peccatis quia per illa Deus me beatitudine privare potest multis malis temporalibus, vel æternis affligere, vel per illa Anima mea coram Dei oculis deturpatur: & propono emendationem in futurum.

Brevius cum proposito implicito.

17. Mihi displicet peccasse propter mala, quæ Deo mihi immittere, vel bonis quibus me privare potest doctrina data à num. 7.